

EPISTULA LEONINA

CLXX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXIX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM (170) !

ARGUMENTA

MORITURI TE SALUTANT.....	03
FABELLA GRIMMIANA: Regina apium.....	04-07
HORAE GENERIS HUMANI STELLARES (Stefan Zweig, pars III).....	08-14
EQUES LEUCIPPUS (Storm, Schimmelreiter, pars IV).....	15-23

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam septuagesimam (170). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Nunc, cara Lectrix, care Lector, denuo cena tibi apparatus est opipara: tolle lege frueri!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
 Die Dominicâ, 19. m.Aug., a.2018**



HAVE IMPERATOR MORITURI TE SALUTANT!

Pinxit Ulpiano Fernández-Checa y Saiz (1860 – 1916).

SUETONIUS, Claudius 21 ...Quin et emissurus Fucinum lacum naumachiam ante commisit. Sed cum proclamantibus naumachiariis: "**Have imperator, morituri te salutant!**" Respondisset: "Aut non," neque post hanc vocem quasi venia data quisquam dimicare vellet, diu cunctatus an omnes igni ferroque absumeret, tandem e sede sua prosiluit ac per ambitum lacus non sine foeda vacillatione discurrens partim minando partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulae, exciente bucina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerserat...

FABELLA GRIMMIANA

De reginâ apium



<http://virtuelles-ddrmuseum.de/seiten/ddrquartette22.htm>

Aliquando duo filii rēgis, qui profecti erant ad aventuras¹ experiendas, delapsi sunt in consuetudinem vivendi feriolem atque dissolutiorem, quam ut domum revenirent. Filius autem natu minimus, qui vocabatur Baburrus², profectus est, ut fratres quaereret. At fratres tandem inventi eum irriserunt, quod frater, qui animo esset simplicissimo, mundum permigrare vellet, quamvis ipsi multo sagaciores hoc facere nescirent.

Omnes tres unâ profecti pervenerunt ad formicarium. Duo aetate maiores îdem voluerunt eruere et videre, quomodo formiculae anxîe huc illuc repentes ova auferrent, sed Baburrus: »Parcite« inquit, »his bestiis, non patior eas a vobis perturbari!«

¹ +adventūra, -ae f. orig. *Abenteuer*.

² Baburrus, -ī m. orig. der *Dummling*.



Tum fratres iter facere perrexerunt et venerunt ad lacum, in quo multae, permultae anates natabant. Duo fratres maiores nonnullas anates voluerunt captare et assare, sed Baburrus hoc non permittens: »Parcite« inquit, »his bestiis, non patior eas a vobis necari!«

Deinde venerunt ad nidum apium, cui inerat tantum mellis, ut per stipitem destillaret. Duo fratres maiores arborem voluerunt accendere, ut apibus suffocatis mel auferrent. Sed Baburrus illos denuo retinens: »Parcite« inquit, his bestiis, non patior eas a vobis comburi!«

Denique tres fratres venerunt ad castellum, in cuius stabulis lapidei tantum equi stabant neque ullus homo apparebat, et ierunt per omnia stabula, usque dum pervenerunt ad ianuam, ex quâ propendebant tria claustra; mediae autem ianuae inerat foricula, per quam in conclave potuit prospici. Ibi conspexerunt homunculum cānum ad mensam sedentem. Quem semel, bis appellaverunt, sed îdem non audivit. Tandem tertio appellatus homunculus surrexit, claustra aperuit, foras egressus est. Nullo verbo dicto homunculus eos ad mensam duxit opiparê epulis exstructam; fratres cum comedissent atque bibissent, unumquemque duxit in cubiculum proprium.



Postridie mâne homunculus c nus venit ad fratrem maximum natu, digito innuens eum duxit ad tabulam lapideam, cui inscripta erant tria pensa, quibus absolutis castellum redimi posset. Primum autem pensum fuit hoc: In silv  sub musco positas esse margaritas principissae, quae numero essent mille; quas esse quaerendas, et si sole occidente una tantum deesset, fore, ut is, qui quaesivisset, fieret lapis. Frater maximus natu illuc iit et per totum diem quaesivit, sed die transacto centum demum inv nit; tum factum est id, quod tabulae inscriptum erat: Frater maximus mutatus est in lapidem. Postridie secundus frater periculum subiit; at ei res non multo melius evasit, non plus ducentis margaritas inv nit et factus est lapis. Denique ordo vocavit Baburrum, qui in musco margaritas quaesivit; at cum ei perdifficile esset margaritas invenire, hoc fecit lentissim . Tum Baburrus in lapide consedit et lacrimavit. Baburro autem sedente v nit rex formicarum, cui illo tempore vitam servaverat, un  cum quinque milibus formicarum, nec mora, et bestiolae margaritas inventas ad unum cumulum portaverunt.

Alterum autem pensum fuit clavem cubiculi principissae e lacu afferre. Cum Baburrus ad lacum veniret, anates illae, quas servaverat, ad eum nataverunt, se merserunt, clavem e profundis attulerunt.

Tertium autem pensum fuit omnium difficillimum: Ex tribus filiabus r gis exquirenda fuit minima et carissima. At hae tres puellae inter se

perfectê pares erant nullâque re inter se distulerunt nisi eo quod antequam obdormiverant tria sumpserant dulcoramenta inter se diversa, maxima frustum sacchari, secunda paulum sirupi, minima ligulam mellis. Tum vênit regina illarum apium, quas Baburrus tutatus erat contra ignem, et gustavit ôs omnium trium puellarum, denique sedens remansit in eo ore, quod comederat mel, et sic filius rêgis cognovit filiam inveniendam.

Tum vis magiae sublata est, omnes homines e somno sunt expergefati, et qui lapis fuerat, redactus est in figuram humanam. Baburrus autem in matrimonium duxit filiam rêgis natu minimam et carissimam et sponsae patre mortuo factus est rex, duo fratres Baburri duxerunt sorores reginae.

FABELLAM GRIMMIANAM

C.T.

Die Bienenkönigin

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

STEFAN ZWEIG

Sternstunden der Menschheit.
Zwölf historische Miniaturen. Stockholm 1943.

HORAE

GENERIS HUMANI

STELLARES

Duodecim imagunculae historicae (III)

quas scripsit

Stefanus Zweig

**Opus originale editum est a.1943
Holmiâ in urbe Suetorum principali.**

In Latinum convertit

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS



STEFAN ZWEIG
(1881-1942)

Stefan Zweig

Sternstunden der Menschheit



PARS TERTIA

cfr EL 146, 8-14 (pars I); 163, 9-15 (pars II)

XX

Fuga in immortalitatem facta (III)

XX

Quomodo inventus sit Oceanus Pacificus

d. 25.m.Sept. a.1510



Vasco Núñez de Balboa

i.e. Vascus Nonius de Valle Bonâ

(1475-1519)

Ascensus periculosus

Mox infelicem *Encisium* »baccalaureum«, cuius pecuniâ colonia condita est, graviter paenitebit, quod cistam, cui infuit *Nonius de Valle Bona*, non satis maturê in mare deiecit, nam paucis septimanis transactis is vir audax tenet summam imperii. *Encisius*, ut est iurisconsultus ordine et disciplinâ imbutus, syndacus maior gubernatoris, qui hâc tempore reperiri non potest, conatur coloniam in rēgis Hispaniae gratiam administrare, in casâ indianorum miserabili eâdem cum puritate atque severitate edicta sua êdit, qua êderet in grapheo suo iuridico Hispalensi. *Encisius* mediâ in istâ regione ferâ, quae numquam ab hominibus est intrata, militibus interdicit, ne ab indigenis mercentur aurum, quia hoc rēgi sit reservatum, conatur istam catervam disciplinae expertem cogere, ut sequatur ordinem legemque, sed adventurarii¹, quâ sunt indole, viro gladii faventes viro pennae resistunt. Mox *Nonius de Valle Bonâ* est dominus coloniae; *Encisio*, ut vitam suam servaret, fugiendum est, et cum *Nicuesa*, unus ex illis viris, qui a rēge sunt facti gubernatores *terrae firmae*, tandem veniret ad ordinem efficiendum, a *Nonio* impeditur, ne navem ad terram appellat, ut *Nicuesa* infelix, qui fugatus est e terrâ sibi a rēge attributâ, rediens aquis submergatur.

Nunc *Nonius de Valle Bonâ*, vir ille, qui cistae inclusus erat, est dominus coloniae. At quamquam res bene sibi successit, îdem haud iucundê se habet. Nam seditione contra regem apertê conflât eo

¹ +**adventūrārius**, -iī m. orig. *Abenteurer*. cfr Philippe Ménard, Problématique de l'aventure dans les romans de la Table Ronde, in: Arturus Rex, Acta Conventus Lovaniensis 1987, vol.2, Leuven University Press 1991, p.92sq.: "Il serait intéressant d'avoir quelques lumières sur l'emploi de la famille d'**adventura** en latin médiéval. ...DuCange relève **adventurare** «s'aventurer». Il traduit *audere, fortunam tentare*. Il enregistre également **adventura** ou *aventura* en quelques emplois techniques «bénéfices fortuits, bien accidentels» et aussi avec la valeur de «joue, tournoi». Il s'agit d'une charte du roi d'Angleterre Henri III, datée de 1242 d'après Juliet R.V. Barber, où le mot figure dans une série de termes voisins: *torneamenta aliqua, aventurae, justae seu eiusmodi hastiludia*. ... L'idée de risque, d'accident apparaît aussi en latin médiéval. DuCange signale **adventus** au sens nouveau d'«accident, malheur» (éd. Favre, t.I, p.97). Il traduit *casus adversus, infortunium*. Le Dictionnaire de Latham (Revised Medieval Latin Word-List, London 1980, p.9) fort précieux pour notre investigation, nous donne **adventura mortis** au sens de «mort accidentelle», **adventura** au sens d'«entreprise risquée» dans la langue commerciale, **adventura maris** avec la nuance de «biens emportés par la mer, naufrage», **mercator adventurarius** «marchand qui prend des risques». Le *Lexicon Latinitatis Medii Aevi* d'Albert Blaise connaît **adventuraria navis** au sens de «corsaire»."

minus veniae est exspectandum, quod gubernator a rēge mandatus *Nonii* culpā mortuus est. Īdem scit *Encisium* fugientem accusaturum iter facere in Hispaniam seque citius ocius propter seditionem in ius vocatum iri. Attamen cum Hispania sit remota, *Nonio* restat multum temporis, antequam navis bis per oceanum transvehetur. Haud minus prudens quam audax cum sit, unicā ratione utitur, qua contingat, ut potestatem usurpatam quam diutissimē retineat. *Nonius* scit hōc tempore rationem reddi omnis sceleris, dummodo aliqua res feliciter successerit, necnon copiā auri sat magnā ad thesaurum regium traditā omnem causam poenalem aut mitigari posse aut retardari; ergo primo aurum est comparandum, nam auro fit potestas! Unā cum *Francisco Pizarro Nonius* subigit atque diripit indigenas propinquos, et mediis in caedibus solitis res succedit prosperrimē. Unus enim e Cazicis, nomine *Careta*, quem ius hospitii gravissimē violans dolo oppressit, ipse mortem subiturus *Nonio* commendat, ut pro eo, ut Indianos sibi faciat hostes, foedus pangat cum gente suā, et pignori praebet filiam. *Nonius de Valle Bonā* statim cognoscit, quantum valeat inter indigenas habere amicum fidelem atque potentem; ĩdem rem a *Caretā* oblatam accipit et – id quod etiam mirabilius est – *Nonius* illi puellae indianae remanet usque ad ultimam horam tenerrimē deditus. *Nonius* unā cum *Caretā* Cazicā omnes gentes indianorum propinquas subigit et apud eas tantam sibi conciliat auctoritatem, ut denique etiam ab ipso *Comagreō* regulo omnium indianorum potentissimo magno cum honore invitetur.

Eo quod hunc regulum potentem visitat, *Vascus Nonius de Valle Bonā*, qui usque nunc nihil fuit nisi grassator et vir seditiosus potestati regiae resistens aut patibulo aut securi carnificis Castiliae iudicialis destinatus, rem efficit, quae maximē valet ad historiam mundanam. *Comagreus* autem cazicus *Nonium* recipit in domo suā lapideā spatiosā, cuius divitiis *Vascus Nonius* summē stupefit, et voluntariē convivae donat quattuor milia unciarum auri. At nunc ordo vocat cazicum, ut stupefiat. Nam auro vix conspecto filii caeli, isti peregrini potentes deis similes, qui recepti sunt tantā cum reverentiā, omnis dignitatis sunt expertes. More canum a catenā liberatorum unus in alterum invehitur, gladios destringunt, manūs in pugnos comprimunt, clamant, furunt unus contra alterum, omnis postulat sibi auri partem extraordinariam. Tum Cazicus stupefactus contemptim aspectat

peregrinos furentes: sicut semper stupent homines inculti cuiusvis anguli terrarum aspectantes homines eruditos, qui maioris faciant volam metalli flavi quam omnes thesauros cultûs sui civilis mentales technicosque.

Denique cazicus illos alloquitur, et Hispani cupido quodam cum horrore audiunt ea quae interpres in sermonem suum convertit. *Comagreus* autem: »Quam mirum est« inquit, »quod vos de tantulis quisquiliis rixamini, quod vos propter metallum tam vulgare subîtis incommoda atque pericula gravissima. Illic, post montes altos, situm est magnum mare, et omnia flumina quae fluunt in illud mare, secum ferunt aurum. Ibi habitat gens, quae navibus vehitur talibus velis remigiisque instructis, qualibus sunt vestrae, et eius rêges comedunt et bibunt e vasibus aureis. Ibi invenire poteritis tantum huius metalli flavi, quantum cupitis. Iter illuc faciendum est periculosum, nam certum est regulos recusaturos esse, ne transeatis. Sed est iter paucorum tantum dierum«.

Vascus Nonius de Valle Bonâ intimo ex corde laetatur. Tandem inventum est vestigium illius terrae auratae, de quâ ex annis permultis audivit; cum illi, qui *Nonium* antecesserunt, eam terram omnibus locis, in meridie et in septentrione speculando assequi voluerint, eadem nunc remota est nonnullorum tantum dierum itinere, si quidem iste cazicus rettulit verum. Tandem simul a satis certo auctore allatum est exstare ille oceanus alter, ad quem pervenire *Columbus* et *Cabot* et *Corereal* et omnes nautae magni atque illustres studuerunt frustra: necnon eo ipso via inventa est, quâ navigari potest circa globum terrestrem. Qui primus hoc mare novum aspectaverit inque nomine patriae suae possederit, eius nomen in terris perpetuabitur. *Nonius* autem cognoscit, quid sibi faciendum sit, ut se redimat a culpâ sibi que conciliet honorem sempiternum: sibi primo isthmum esse transeundum usque ad Mare Australe, per quod navigetur ad Indiam, sibi que in nomine rêgis Hispaniae expugnandam esse alteram terram *Ophir*. Haec hora, quâ versatur in domo *Comagrei* cazici, fatalis est

Vasco Nonio de Valle Bonâ. Inde ex hōc momento temporis vita istius viri temerarii pretium habet magnum necnon supertemporale¹.

**Capitulum tertium imagunculae
historicae
a Stefano ZWEIG scriptae
c.t.**

**»Fuga in immortalitatem facta« i.e. „Flucht in die
Unsterblichkeit“**

**in Latinum convertit
LEO LATINUS**

Quartum capitulum sequetur!

¹ +**supertemporālis**, -e orig. *überzeitlich*. cfr Nikolaus von Kues, Philosophisch-theologische Werke in 4 Bänden.: Lateinisch-Deutsch. De docta ignorantia, lib.II, 3.ed., Hamburg 1999, Verzeichnis wichtiger Begriffe, p.202: veritas supertemporalis überzeitliche Wahrheit.

Theodori STORM fabula novella, q.e. „*Der Schimmelreiter*“, a.1888
Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER

Pars quarta



»Das hohe und innerlich vielerfahrene Künstlertum Storms hat nichts zu schaffen mit Simpelei und Winkeldumpfigkeit, nichts mit dem, was man wohl eine Zeitlang ‚Heimatkunst‘ nannte... Er ist ein Meister, er bleibt«. **THOMAS MANN**

i.e. Latinê: Ars Theodori Storm magna multimodisque perita nequaquam spectat ad animi stupidam simplicitatem et proprii anguli terrarum laudem Abderitanam, nequaquam ad illam rationem scribendi, quae nescio an aliquamdiu appellata sit ‘ars patriae’... Storm est verus artifex: qui manebit.

Theodorus Storm: *Der Schimmelreiter (IV)*

DE EQUITE LEUCIPPO

Capitulum quartum

– – Aliquanto postea, cum vetus Haienus in cellulâ angustâ huc illuc ibat, Haucus intravit avemque versicolore in mensam coniecit; at cum maculam sanguinis adhuc cognoscibilem aspiceret in laminâ abstergendo albâ, tamquam obiter rogavit: »Quidnam est hoc?«

Pater autem pedibus constitit: »Hic est sanguis, quem tu effecisti ut efflueret!«

Tum puer vehementer erubescens: »Adfuitne *Catharina Iohannea* cum catto suo?«

»Cur tu illum occidisti?«

Haucus denudavit brachium suum sanguine oblitum. „Hac de causâ“; ille mihi avem abriperat!

Vir vetus his verbis nihil respondit; iterum coepit aliquamdiu huc illuc ire; deinde ante puerum pedibus constitit eumque paulisper tamquam mente absens aspectavit. Deinde: »Culpam cattâ contractam« inquit, »redêmi; at vide, Hauce, haec casa est nimis parva; in eâ duo domini non possunt sedere – tempus est te munus quaerere«.

Haucus autem respondit: »Assentior tibi, pater; ipse iam sic cogitavi«.

»Quare?« senex interrogavit.

»Piget vacare a labore gravi atque honesto«.

Senex: »Itane vero?« inquit, »Quânam re cattum occidisti angoranum? Cave ne facias graviora!«

»Haud scio an dicas verê, pater; sed comes aggeralis fugavit servum suum minorem; eius munere velim fungi!«

Vir vetus denuo coepit huc illuc ire et expuit sucum tabaci nigrum. »Comes aggeralis est baburrus, qui beluinâ est stultitiâ. Qui non esset comes aggeralis, nisi hâc munere iam functi essent eius pater avusque, nisi haberet undetriginta pascua. Cum Die Sancti Martini advenit et calculationes aggerum atque exclusarum sunt faciendae, îdem vir magistrum scholarem cibavit asso anserino et mulso¹ et circulis triticeis² illique assidet et capite adnuit illi penna ordines numerorum decurrenti et ‘Bene, bene’ inquit, ‘magister scholaris, Deus tibi congaudeat! Quam bene scis calculare?’ At si quando magister scholaris calculare non potest aut non vult, necesse est comitem aggeralem ipsum hanc rem agere eumque sedere et scribere et scriptum delere, et magnum caput stultum erubescere et aestuare, et oculos protuberare sphaeris vitreis similes, quasi exire velit pauxillulum intellectûs, quod capiti inest.

Tum puer coram patre surgens miratus est illum tam bene loqui scire; numquam illum audiverat sic loquentem. Haucus autem: »Deus illum consoletur« inquit, »quia verê stultus est; sed *Elca* illius filia, ea scit calculare!«

Senex filium aspexit oculis acribus. »Heus Hauce«, vocavit, »quidnam tu scis de *Elcâ Volkerts*?«

»Nihil, pater; magister autem scholaris mihi hoc narravit«.

Senex his verbis non respondit, nihil fecit nisi consideratê nodum tabaci ex unâ buccâ movit in alteram.

»Tunc autem« inquit, »cogitas te ibi posse unâ cum illis calculare?«

Tum filius: »Ita vero« inquit, »hoc certê fiet bene« et ôs eius graviter micuit.

Vir vetus caput concussit. »Bene, non impedio; experire fortunam tuam!«

»Gratias tibi ago, pater!« Haucus dixit et ascendit ad cubile suum in tabulato posito; ibi in margine lecti sedens deliberavit, curnam pater se

¹ *mulsum*, -i n. orig. *Met.*

² *circulus triticeus* orig. *Weizenkringel*.

rogavisset de *Elca Volkerts*. Scilicet eum novisse illam, puellam proceram duodeviginti annos natam, angustâ facie suffusculâ, superciliis obscuris, quae supra oculos feroces nasumque angustum concurrunt; sed vix umquam cum illâ verbo locutus erat; nunc veterem *Tedum Volkerts* aditurus voluit illam accuratius aspectare, ut cognosceret, qualis illa puella esset. Necnon statim nunc voluit abire, ne quis alius munus illud sibi auferret; nam vix advesperaverat. Itaque iacca diei dominicae optimisque caligis indutis Haucus bono animo profectus est.

Domus comitis aggeralis longê porrecta altis suis tumulis aquariis¹, praesertim ingenti fraxino, arbore totius vici altissimâ, iam e longinquo apparebat; avus eius, qui nunc erat, id est primus gentis comes aggeralis, aetate iuvenili cum esset, versus orientem a ianuâ domesticâ talem fraxinum plantaverat; sed duae arbores huiusmodi prius plantatae cum iam esse desiissent, haec fraxinus tertia ab avo mâne nuptiarum plantata, cuius frons semper semperque augescens vento hîc perpetuo adhuc agitata strepebat, quasi nuntiaret res iam pridem transactas.

Paulo post cum Haucus, qui erat longurio², ascenderet tumulum altum, cuius latera obsita erant rapis atque brassicis, vidit domini filiam, quae stabat iuxta ianuam domûs humilem. Unum *Elcae* bracchium paulum gracile laxê dependebat, altera manus visa est in dorso anulum illum apprehendere, qualis muro infixus est in utroque latere ianae, ut is qui ante domum equitabat, equum huic anulo alligaret. Hôc vespere tranquillo puella fuscula illinc oculos trans aggerem ad mare directos

¹ **tumulî aquârî** orig. *die Werfte*. cfr https://www.storm-gesellschaft.de/uploads/media/Der_Schimmelreiter.pdf: 7. Worterklärungen „Für binnenländische Leser“, p.49: „**Werfte**, zum Schutze gegen Wassergefahr aufgeworfener Erdhügel in der Marsch, worauf die Gebäude, auch wohl Dörfer liegen“. – cfr PLIN.nat.XVI 1,2-3 (ed. König/Hopp, München 1991, p.14sqq.): ...*Sunt vero et in septentrione visae nobis (sc. gentes) Chaucorum, qui maiores minoresque appellantur. Vasto ibi meatu bis dierum noctiumque singularum intervallis effusus in immensum agitur oceanus, operiens aeternam rerum naturae controversiam dubiamque, terrae sit an partem maris. Illic, misera gens, tumulos optinent altos aut tribunalia exstructa manibus ad experimenta altissimi aestus, casis ita inpositis navigantibus similes, cum integant aquae circumdata, naufragis vero, cum recesserint, fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur.* Ceterum König et Hopp (op.mem., p.17) verba Plinii, q.s. **tumulos optinent altos aut tribunalia exstructa manibus ad experimenta altissimi aestus**, verbis in theodiscum convertunt, quae sequuntur: „auf hohen **Halligen**, oder auf künstlichen, der erfahrungsgemäß höchsten Flut angemessenen **Dämmen**..“.

² **longuriō**, -ōnis m. Haucus longurio orig. *der lang aufgeschossene Hauke*. VARRO sat.Men.562 cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-deutsches Handwörterbuch, 14.ed., Hannover 1976, tom.II, col.700, s.v.: „longurio, ōnis, m. (longus) ein **baumlanger Kerl, eine Hopfenstange**, Varro sat.Men.562.“ – cfr OLD p.1042, s.v.: „longuriō ~ōnis m. [LONGUS; for term. cf. *centurio* : *centum*, *Mercurius* : *merx*] A tall person. nihil uideo: ita hic obscurat qui ante me est, nescio qui longurio. VAR.Men.562.“

habens ultimo splendore solis in aquam delabentis visa est inaurari. Haucus aliquanto lentius tumulum ascendens secum cogitavit: ›Sic si illam aspicio, haud malâ formâ esse videtur!‹ Deinde supra advênit. »Bonum vesperum!« illam accedens dixit; »quonam spectas magnis tuis oculis, Dominula Elca?«

Elca »In illam rem«, inquit, »quae hîc fit omni vespere, sed non omni vespere est visibilis«. Tum puella anulum e manu sivit decidere, ut murum illidens resonaret. »Quidnam vis, Hauce Haiene?« eadem rogavit.

Haucus autem dixit: »Id volo quod spero tibi non fore iniucundum«. »Cum pater tuus servum minorem fugaverit, cogito fieri posse, ut munus apud vos suscipiam«.

Elca Haucum a vertice ad pedes aspexit. Deinde dixit: »Adhuc es nimis gracilis¹, Hauce! Sed duo oculi acres nobis utiliores sunt quam bracchia robusta!« Haec dicens Elca Haucum aspexit oculis ferê austeris, sed puer iisdem fortiter restitit. Tum Elca: »Nunc veni«, inquit; »dominus inest conclavi, intremus!«

Postridie Tedus Haienus cum filio intravit conclave comitis aggeralis spatiosum; parietes vitratis² lamnis fictilibus³ erant obtecti, in quibus aspectator delectabatur hîc nave aliqua plenis velis instructâ aut hamiotâ in loco ripae sedente, illîc bove aliquo masticante ante villam rusticam cubante; haec durabilis charta muralis interrupta erat ingenti lecto parietali foriculis nunc commovendo clausis instructo et armario parietali, per cuius duas foriculas vitreas apparebant varia vasa porcellanea atque argentea; iuxta ianuam propinqui conclavis pretiosi⁴ post quadram vitream batavicum horologium pulsorium⁵ parieti erat impositum.

¹ **Adhuc es nimis gracilis, Hauce !** orig. *Du bist noch was schlanterig, Hauke !*

² ***vitro, *vitrae:** orig. *glasuren (i.q. glasieren)*. cfr ***vitratūra**, -ae f. theod. *die Glasur*. cfr Stephanus Hathuani: *Thermae Varadienses, examini physico et medico subjectae ... item de illarum .., Viennae 1777, .p.4:* „Tum dimidium fere huius salis, rursus in aqua pura fontana solvi; ac in vasi fictili, evaporationi commisi. Deinde patinae **vitratae** (mázos) infudi ac refrigerio exposui . Verum residua materia, perinde fundo patinae adhaesit firmissime, quam ante lebetis aenei. Tanta enim vi abraderere debui, ut fere ipsa **vitratūra** patinae laederetur.”

³ **lamna fictilis** orig. *Kachel*.

⁴ **conclave pretiosum** orig. *Pesel*.

⁵ **horologium pulsorium** orig. *Schlaguhr*.

Dominus robustus, aliquantulo apoplecticus¹ ad extremam mensam tergendō purgatam in arcisello insidebat laneo tomento versicolori. Qui manibus supra ventrem complicatis rotundis oculis torpidis saturatus spectavit ad ossa anatis pinguis; culter fuscinulaque ante eum in catino iacebant.



ECCE CONCLAVE DOMŪS FRISIANAE PRETIOSUM, QUOD APPELLATUR *PESEL*.

Cum Haienus »Salve, comes aggeralis!« dixisset, vir appellatus lentē caput oculosque convertit ad eum.

»Heus Tede, tun' ades?« respondit voce, quae quadamtenus mutata erat pingui anate consumptâ, »conside; est via sat magna a te huc ad me!«

Tedus Haienus autem, cum in angulo scamno praeter parietem posito insideret ex adverso comitis aggeralis: »Venio, comes aggeralis« inquit, »quia inter te, qui es a servo tuo minore molestiâ affectus, et filium meum convēnit, ut is supponatur in locum illius!«

¹ aliquātenus apoplēcticus orig. *etwas schlagflüssig*.

Deinde comes aggeralis capite adnuit: »Ita, ita, Tede; sed – quid dicis verbo molestiae? Nos paludicolae¹, Deus nos consoletur, habemus aliquid, quod contra molestiam sumamus!« Tum vir cultrum sibi antepositum sumpsit eodemque ossa miserae anatis pulsavit, quasi eam tenerê palparet, et suaviter ipse sibi arridens addidit: »Haec anas« inquit, »fuit avis mihi dilectissima; quae mihi e manu comedebat!«

Vetus Haienus ultima verba illius negligens: »Cogitaram« inquit, »illum verberonem² in stabulo tibi malum fecisse«.

»Malumne? Iste fecit, Tede, verum malum! Iste porculus praepinguis³ vitulos non adaquaverat; sed in fenili iacuit prorsus inebriatus, et pecora cum siti vexarentur, per totam noctem vehementius clamaverunt, quam ut obdormiscerem; itaque necesse fuit me postridie usque meridiem dormiendo compensare insomniam nocturnam; talia si saepius fiunt, perditur res familiaris!«

»Ita vero, comes aggeralis; sed non est periculum, ne talia accidant puero meo«.

Haucus autem manibus in sacculos laterales abditis ad postem ianuae stabat et capite cervici imposito contemplantur margines fenestrarum sibi adversarum.

Comes aggeralis autem oculis ad Haucum sublatis eidem adnuens: »O Tede, tale periculum« inquit nunc patri quoque pueri adnuens, »non timeo; Haucus tuus certê non perturbabit tranquillitatem meam nocturnam; magister enim scholaris hoc mihi iam dixit, tuum puerum malle ante abacum sedere quam ante hyalum vini adusti«.

¹ **palūdicolae**, -ārum m.pl. orig. *Marschleute*.

² **verberō**, -ōnis m. orig. *Bengel*. Verbum *Bengel* sensu originali spectat ad fustem, quo servus vapulabat, sensu translato ad +vapulonem, i.e. servum vapulantem. Eodem fere sensu *verbero* derivatus est a *verbere*. Cfr Georges, op.mem., tom.II, col.3417: "2. verbero, onis, m. (verber), eig. einer, der Schläge verdient, ein Schimpfwort, **S c h l i n g e l**, **G a l g e n s t r i c k**, **S c h u r k e**, Plaut.Amph.284: capt.551 u.a. Ter.Phorm.684. Cic.ad Att.14,6,1...".

³ **iste porculus praepinguis**: orig. *dieser fette Mopsbraten*. En habes duo nomina alia irrisoria vel increpatoria, quibus appellabantur (inurbane) homines crassi, pingues, obesi: **galba**, -ae m. cfr Walde, Lateinisches etymologisches Wörterbuch, tom.I, 4.ed., Heidelberg 1965, p.577: „galba, ae m. ‚Schmerbauch‘, Beiname der gens Sulpiciorum, nach Suet.Galba 3,1 gallische Bezeichnung für ‚praepinguis‘...“. cfr SUETON.Galba 1,3 ... Qui prius Sulpiciorum cognomen Galbae tulit, cur aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hispaniae frustra diu oppugnatum inlitis demum galbano facibus succenderit; alii, quod in diuturna valitudine galbeo, id est remediis lana involutis, assidue uteretur: nonnulli, **quod praepinguis fuerit visus, quem galbam Galli vocent**; vel contra, quod tam exilis, quam sunt animalia quae in aesculis nascuntur appellanturque galbae cfr aliud nomen irrisorium, quod adhibebatur ad hominem pinguem denominandum: Georges, op.mem., tom.II, col.1285: **Sēmīcūpa**, -ae f., **H a l b f a ß**, **S c h m e r b a u c h**, als Schimpfwort, Amm.28.4.28.“

Haucus autem hanc laudem non audivit, nam Elca conclave intraverat et manu levi partes ciborum reliquas de mensâ sustulit puerum oculis obscuris obiter aspiciens. Tum puer illam conspexit. ›Per Deum atque Iesum‹ secum cogitavit, ›haec puella etiam nunc formâ est haud malâ!‹

Nunc, cum puella exiisset, comes aggeralis denuo coepit loqui: »Certo scis, Tede, Dominum Deum nostrum mihi non concessisse filium!«

Tum Tedus Haienus: »Ita vero« inquit, »mi comes aggeralis, sed noli hîc incommodo nimium contristari. Nam generaliter dicitur intellectum gentis in tertio membro deminui; nos omnes scimus avum tuum terram optimê procuravisse!«

His verbis auditis comes aggeralis paulisper meditatus perturbari visus est. »Quidnam sentis his verbis, Tede Haiene?« dixit et in arcisellio corpus erexit, »equidem ipse sum in tertio membro gentis comitum aggeralium!«

»Ita vero! Scilicet. Des veniam, oro, comes aggeralis; sic enim dicitur!« Tedus Haienus autem gracilis veterem illum virum dignitarium aspexit oculis paululo malevolis.

Is autem animo securo: »Ne sinas tibi« inquit, »talem stultitiam ab aniculis insusurrare, Tede Haiene; ignoras enim filiam meam ter melius calculare me ipso! Hoc tibi sit persuasissimum Haucum tuum, ne loquar de operibus in campo faciendis, etiam hîc in conclavi meo pennâ atque stilo usus calculando haud pauca discere posse, quae sibi non nocebunt!«

Tum Haienus vetus »Verum enim vero, comes aggeralis, filius meus certê permulta discet; omnino tibi assentior!« cum dixisset, coepit depecisci nonnulla commoda locationis¹, quae vespere diei praeteriti a filio suo non erant respecta. Ita Haienus depectus est, ut Haucus autumnô praeter camisias suas lineas etiam, ut fruere tur mantisâ mercedis, acciperet sex paria tibialium laneorum; necnon depectus est, ut tempore vernali per octo dies pater filium haberet secum

¹ locatiō, -ōnis f. orig. *Mietcontract*.

operantem, et ut fierent alia huiusmodi. Sed comes aggeralis paratus fuit ad haec omnia comprobanda. Nam Haucus Haienus ei visus est servus minor longê aptissimus.

– – Pater autem, cum modo domum reliquissent »Deus te consoletur, mi fili« inquit, »si iste vir tibi explicabit mundum!«

At Haucus tranquillê respondit: »Mi pater, noli sollicitari; certê omnia bene fient«.

FABULAM NOVELLAM EXCELLENTISSIMAM

A THEODORO STORM SCRIPTAM



C.T. EST

Der Schimmelreiter

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS

LEO LATINUS

PARS QUINTA SEQUETUR !

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hâc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Dominicâ, 19. m. Aug. a. 2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>